

II.

Unde opinor, successionis legitimæ dignitas, fatis elu-
cescit. Digna n. & illustris materia non injuria censeri potest
ea, quæ tot illustrium virorum commentariis dignata inveni-
tur. Et quamvis multa in laudem ejus dici possent, lubentes
tamen manum hic retrahimus, & sufficit de ea hæc paucula
præmonuisse, quod & aliquo modo à nobis requiri omnino
censuimus, dupli potissimum de caussa: i. ne illotis, (ut
dicitur) manibus protinus rem tractare voluisset, videri possi-
mus, quod ipse Gajus minus decorum esse judicat in l. 2. ff. de
O. I. 2. Cum prætationes istiusmodi libentius nos, monente
Gajo ibid. ad lectionem propositæ materiæ perducant. Facere
hoc voluimus breviter, cum multò utilius sit, pauca idonea
effundere, quam multis inutilibus homines prægravare, l. 2.
§. sed & si 16. in fin. C. de vet. jur. encl.

III.

**Homony-
mia vocab.** Rem itaque nunc ipsam accedendo propius, primò vo-
cabulum S U C C E D E R E , multifariam accipi posse mone-
mus; de cuius significatu egit Förster. de succ. ab intestat. lib. 1.
c. 1. Ferd. Vasqui in prefat. lib. 1. de succ. creat. progr. & resol. n. 5.
ac seqq. Hottom. in comment. verb. jur. in verb. successio. Nos ita
hanc vocem impræsentiarum accipimus, ut successionem in-
jus & bona defuncti, per eam denotemus; sive *Succedere*
nobis idem est, quod *Acquirere hereditatem*.

IV.

**Definitio
Successio.** Definimus Successionem cum Först. lib. 1. de succ. ab intest.
c. 2. quod sit Jus arg. l. 3. §. 3 in fin. ff. de her. inst. acquirendæ hære-
ditatis, vel bonorum possessionis, Jure civili, vel prætorio in-
ductum. Aliter, & cum Ulp. ex l. 3. ff. de bon. poss. describere
eam possimus, quod sit Universitatis acquisitio, per quam
in Jus demortui succeditur, accipiturqne ejus rei commo-
dum & incommodum.

V.

**Hereditatis cum fecerimus mentionem, uti & bonorum
possess.**

Hereditas.